



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. II. Vtrum ad hoc Sacramentum sufficiat Attritio ex solo motivo
creato, sine motivo Charitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

latione de nullo peccato dimittendo, quia sicut in priori mutaretur essentia peccati, quia redderetur impunitibile intrinsecè, ita in posteriore mutaretur eadem essentia, quia redderetur intrinsecè irremissibile.

Replicabis. In casu posito revelata prædestinationis, posset quis discredere revelationi; quod peccatum esset essentialiter pendens à tali revelatione: ergo esset essentialiter impunitibile pœnâ æternâ. R. Vel loquimur de revelatione passiva, quæ sit essentialiter locutio Dei, vel de alia quæ sit contingenter divina. si hæc posterior ponatur, cessat difficultas, quia peccatum non penderet essentialiter à decreto Prædestinationis: si verò ponatur revelatio essentialiter divina, tunc dicendum est, vel fore talem, quæ faceret evidentiam in attestante, vel, si esset obscura, deberet proponi tali cognitione & apprehensione, ut non fundaret sufficientem libertatem ad peccatum mortale, sed tantum sufficientem ad veniale.

984. Obijcies 4. Si ex vi timoris & odij pœnæ determinatur homo ad vitandum peccatum, quia vitare peccatum est medium ad fugiendam pœnam: ergo si committere peccatum esset similiter medium ad fugiendam pœnam, ex vi ejusdem timoris pœnæ, similiter determinaretur voluntas ad illud committendum: ergo pœna seu metus pœnæ non est in omni casu motivum aptum ad absterrendum à peccato. Ad hanc objectionem jam supra responsum est, cum disputaretur de casu quo quis vel deberet peccare, vel eligere infernum. Refero nunc aliam responsionem, quam adhibet sæpè adductus Recentior. Negat ergo primam consequentiam. Ratio est, quia potest determinari ex timore pœnarum ad fugiendum peccatum, supposito quod vitare peccatum non sit malum rationis, seu inhonestum: unde ex timore eodem pœnæ, non determinaretur ad peccandum etiam quando peccatum esset medium vitandi pœnam, & licet esset medium unicum: quia in peccato apparet intrinseca turpitudine. & quamvis hæc intrinseca turpitudine relucens in peccato, non esset motivum ad vitandum peccatum, esset tamen conditio retrahens. Exemplum. amat quis sanitatem, & ex hoc fine amato determinatur ad consulendum Medicum: dicēsne propterea, quod eodem fine amato consuleret Medicum, si hæc consultatio esset peccatum mortale, quia eodem modo esset medium ad finem, hoc est sanitatem acquirendam? minimè, dices, quia quamvis honestas quæ est in ejusmodi consultatione, non sit motivum ad consulendum, est tamen conditio tollens id (nempe peccatum) quod retraheret voluntatem ab electione medij. Idem dico in præsentī: ex vi timoris illius, quo homo fugit pœnam, non determinatur ad eligendum peccatum mortale, casu quo esset medium ad vitandam pœnam, quia in turpitudine peccati relucet aliquid retrahens voluntatem à positione illius medij.] Hæc ille, & est doctrina verissima.

Illud tamen esset ulterius declarandum, quid vitandum esset homini, cui peccatum apparet unicum medium ad vitandum infernum. Cum enim non posset eligere peccatum, ut jam ostensum est, an propterea esset necessitas ad eligendum infernum? ad hoc nos supra respondimus.

CONTROVERSIA II.

Utrum ad hoc Sacramentum sufficiat attritio ex solo motivo creato, sive motivo Charitatis.

985. PRIMA Sententia est, requiri actum perfectæ Charitatis. Tribuitur Magistro Sentent. Bonaventuræ, Gabrieli, Majori, Martino, Hugoni & Richardo de S. Victore, Medina, & nonnullis doctis viris etiam post Tridentinum.

Secunda Sententia est, non requiri quidem actum perfectæ Charitatis, hoc est, justitiam etiam sine Sacramento receptam, requirunt actum dilectionis Dei minus perfectum, qualem habeat etiam pro fine Cui. tamen simul movetur à metu pœnæ vel turpitudine peccati; atque motivum charitatis respectu talis actus, est tantum motivum parziale & inadæquatum, quod hic & nunc in absentia alterius motivi non moveret. Hanc Sententiam docuit Franciscus Sylvius apud Card. de Lugo d. 5. s. 9. qui dicitur esse contra omnes Theologos, & contra Tridentinum. Nihilominus hanc Sententiam testificatur Eminentissimus Card. Pallavicinus hæc caput. n. 140. ubi eam mordicus defendit, iniquam oppositam Sententiam (communem aliorum) impugnare tum Scripturæ, tum Patribus, tum Thomæ, tum Concilio Tridentino, tum ratione. Verum hæc suâ tam liberali censurâ, hæc æquitate non obtinuit (quod scio) quam ut eandem censuram in eundem retorquerent duo RR. P. Elparza, & Hispanus alius, ex eadem uterque Censurâ theologica. Citat Pallavicinus pro sua Sententia ex Scholasticis Henriquez & Valentia. Illi duo Recentiores eosdem illi eripiunt, obediētes aliam esse eorum mentem, & credē, ut uterque contrariam & communem Sententiam tenet, ut totum contextum legenti patet. Videatur P. Valentia disp. 7. q. 8. puncto 4. §. 1. advertendum autem est. C. seqq. punctus ipse quælibet q. 1. puncto. 3.

986. DICO, ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficere attritionem, cujus ne quidem parziale motivum sit motivum charitatis, ad eoque subdere dolorem ex metu inferni, vel amore præmonitionis ad honestatem objectivam talis attritionis. Non requiri Contritionem perfectam & nullam activam, adeo certum videtur post Tridentinum, & P. Elparza indubitanter dicat esse de fide. adeo certam judicant, ut inde inferant contra Thomam Sanchez, Suarez & alios, ne quidem in attritione

articulo mortis obligari aliquem ex Charitate erga seipsum ad eliciendam contritionem, quando potest recipere Sacramentum Pœnitentiæ, sed sufficere attritionem cognitam.

Probat autem imprimis ex Tridentino sess. 14. c. 4. jam sæpè citato, ubi distinguens Attritionem à Contritione, ait, quòd quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere nequeat, tamen in Sacramento Pœnitentiæ ad gratiam percipiendam disponat. Ratio autem est, quia alioquin Sacramentum Pœnitentiæ nunquam justificaret, sed semper inveniret hominem jam justificatum per Contritionem.

Probat jam Conclusio contra secundam sententiam 1. & meo iudicio efficaciter ex Tridentino loco cit. ubi postquam dixisset, Contritionem perfectam extra Sacramentum justificare, deinde accedens ad declarandam Contritionem imperfectam, ejusque motivum, prout sufficientem ad justificandum cum Sacramento, sic loquitur. [Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex Gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat (Sacra Synodus) esse donum Dei & Spiritus Sancti impulsus &c. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ &c. tamen cum ad Dei Gratiâ in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.] Ecce aliud motivum non requirit, quàm vel turpitudinem peccati, vel metum pœnæ &c. nullum verbum habet de motivo dilectionis Dei tanquam finis *CVI*. quod tamen tacendum non erat, sed exprimendum, si requireretur, alioquin totam fere Ecclesiâ graviter decessisset.

Respondet Pallav. n. 147. Concilium loqui non tam de ipso actu attritionis formali, quàm de primo motivo, per quod incipimus disponi ad attritionem, in qua tamen aliud perfectius motivum includatur: & hoc putat colligi ex eo, quòd Concilium afferat exemplum Ninivitarum, qui non nisi per Charitatis affectum justificationem consequi potuerunt.

Sed contra hanc responsionem pugnant luculenter verba quæ mox subjicit Tridentinum, nec ea debuisset adversarius dissimulare. [Quamobrem, inquit, falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium Gratiâ conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit.] Ecce! quàm clarè dicat, se locutum esse de attritione, prout sufficit ad Sacramentum. Dicat nobis Pallavicinus, qui fuerint illi Catholici Scriptores, quos redarguebant Hæretici, quasi vellent, Sacramentum justificare sine bono motu? & quos hic defendit Tridentinum? proculdubio non illi quos retuli pro prima sententia, docentes, requiri motivum dilectionis, hos enim nec hæretici carperant, nec Tridentinum de hoc motivo verbum dixerat. Nempe illi Scriptores, qui dixerunt, sufficere metum inferni.

Exemplum Ninivitarum potius nocet Pallavicino quàm patrocinetur. Si enim Concilium requireret ad Sacramentum Pœnitentiæ talem actum, quo justificati sunt Ninivite, requireretur perfecta Contritio, quod est contra ipsum adversarium. Ninivite ergo adducuntur ad ostendendum, dolorem ex metu pœnæ conceptum esse laudabilem, & illos fuisse misericordiam consecutos, impediendo & avertendo pœnam eversionis: an autem fuerint justificati per contritionem perfectam subsequutam, nihil definit Concilium.

Uterius, quòd Tridentinum in cap. 4. agat de attritione, non prout est quadam dispositio remota, ut interpretatur adversarius, sed quæ sit pars Sacramenti, est luce clarius, inspiciendo totum contextum & processum Tridentini. Nam cap. tertio, cujus titulus est: *De Partibus & fructibus hujus Sacramenti*: docet Materiam esse pœnitentis actus, Contritionem, Confessionem, Satisfactionem. Deinde aggreditur declarare singulas partes, seu actus pœnitentis, & capite 4. explicat Contritionem dicendo: *Contritio quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet*. Ergo in hoc capite loquitur Concilium non de attritione aliqua remotè dispositiva, sed de ea, quæ vñ cum cæteris partibus Sacramenti justificat. Dividit enim illud caput in duas partes, quarum prima agit de Contritione in genere, vsque ad illa verba: *Docet præterea*. Inde incipit secunda pars capitis, & declarantur membra dividentia illud genus Contritionis: ac primò explicat Contritionem perfectam, deinde imperfectam seu Attritionem. Ergo cum Tridentinum initio capitis dixerit, Contritionem in genere esse partem hujus Sacramenti, sequitur evidenter, species illius postea explicatas, esse ex mente Tridentini partes ejusdem, & singulas quidem sufficientes.

Neque adversarium quidquam juvat, quòd Concilium utatur verbo *Disponit*. hoc enim esse intelligendum de dispositione proxima & per modum partis, patet manifestè legenti contextum. Nam tribuit illi vim disponendi ad gratiâ cum Sacramento talem, qualem illi negat extra Sacramentum: atqui extra Sacramentum habet vim disponendi remotam: ergo tribuit illi vim disponendi proximè, quæ est per modum partis.

987. Probat Conclusio 2. ad hominem. Si ad Sacramentum requireretur actus conceptus ex motivo Charitatis, talis actus esset justificativus etiam extra Sacramentum: atqui Adversarius fateretur, sufficere ad Sacramentum imperfectiorem actum, qui extra Sacramentum non sit justificativus: ergo doctrina adversarii sibi non cohereret. Sequela probatur. Nam omnis Contritio charitate perfecta, extra Sacramentum justificat, ut definit Tridentinum loquens de tali actu indefinitè, & nullo factò discrimine, an præter motivum Charitatis habeat adjunctum aliud motivum inferius necne. atqui omnis actus habens motivum charitatis, est actus charitate perfectus: ergo &c.

Sed

Sed neque ex S. Scriptura potest colligi aliquod discrimen, vbi bene notat P. Esparza: Quando enim dicitur: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*: plus non requiritur, quam conversio ad Deum tanquam finem *CVI*. hoc autem præstat actus quem requirit Pallavicinus, non enim vult sufficere quemcunque imperfectum amorem Dei. Quod ut omnibus constet, necessarium est ejus propria verba referre, quibus n. 148. declarat, in quoniam perfecta & justificativa Contritio distinguatur ab Attritione ad Sacramentum requisita, tamen si utraque sit ex motivo Charitatis. sic loquitur. [Distinguiamus, inquit, illas hoc pacto. Duobus modis potest quis velle amicitiam Dei efficaciter. primò appretiando Deum secundum ipsum affectivè supra omnia alia bona possibilia: secundò, appretiando quidem valde ipsum Deum secundum ipsum; & ex alia parte parvi appretiando omnia alia bona Deo opposita, quatenus hæc omnia habent adjunctam magnam malitiam, eò quòd inferant jacturam beatitudinis æternæ, & cruciatum æternos, ita ut ex his omnibus simul còsideratis præferat amicitiam Dei omnibus bonis oppositis. Ille primº amor est valde perfectior: totus enim refunditur in magnitudinem bonitatis divinæ, quæ tanta est, ut quantacunque esset bonitas opposita, mereretur illa huic præferri propter suam infinitatem, & ex isto amore sequitur Contritio, quæ dicitur perfectus dolor &c.] Deinde declarat attritionem quam ille ad Sacramentum requirit & dicit, quòd etiam sit amor Dei efficax, quia disponit voluntatem ad semper volendam efficaciter amicitiam Dei, quia peccatum semper affert malum pænæ, & privationem beatitudinis. [Non est tamen, inquit, hic amor Dei super omnia; possumus enim cum hoc amore conjungere majorem amorem alicujus objecti disparati: sed hic excessus amoris non est offensivus Dei, quia semper sumus parati ad relinquendum illud bonum, si Deo displicuerit.] & paulò post. [Sicut quis dicitur velle efficaciter emere gemmam, si velit dare totum id quod videt necessarium pro emptione gemmæ, licet non amet gemmam super omnia alia bona, ita quis dicitur velle efficaciter amicitiam Dei, & abstinentiam à peccato, etiamsi non amet hæc bona secundum ipsa super omnia, dummodo ita amet, ut præferat omnibus, quæ sunt, vel possunt esse necessaria ad illorum acquisitionem] Hæc ille. Quibus quidem declarat, dari posse unum Dei amorem altero perfectiorem etiam quoad extensionem (quod nemo negat) sed non probat, hunc posteriorem non sufficere ad Iustificationem: si enim ad justificationem extra Sacramentum non sufficit amor Dei præferens Deum ut finem *CVI* omnibus oppositis solventibus illius amicitiam, sequitur, ad Contritionem justificativam extra Sacramentum requiri, ut ex suo tendendi modo excludat affectum ad omne peccatum veniale, quod est contra omnes theologos. Neque credibile est, in antiqua lege neminem ju-

stificari potuisse sine tanta contritionis probatione.

988. Probatur Conclusio 3. Ex doctina adversarij redditur aut difficilis, aut valde incertus valor confessionum, quæ communiter sunt bonæ fide: hoc autem non est conforme Providentiæ Redemptoris nostri, ad quam spectat, ut pharmaca ab eo instituta pro reparatione nostre naturæ, profint communiter illis, à quibus bonæ fide usurpantur, ne vilius qui damnatur possit tendere probabilem ignorantiam, ratione cuius non adhibuerit media necessaria ad animæ salutatem.

Respondet adversarius negando sequenti. [Quis enim, inquit, qui serio concipit Deum summum bonum, & summè nobis beneficium, ut eumque confugiens tanquam ad Justitiæ fontem, & paratum reconcilians inimicos, eoque in filios adoptare, non tam ad aliquem amorem illius, ac proinde ad aliquam displicentiam quòd tantam bonitatem effugerit?

Sed contra. Concedo ex tali conceptu prævio, resultare aliquem affectum amoris, sed displicentiam aliquam peccati: sed hoc impossibile, talis affectus in omnibus resultet ad illam prævisionem, evidenter sequitur, tale affectum non esse affectum liberum, sed necessarium: ut quin si est affectus liber, & quidem valde odiosum pretium illius doloris concepti ex metu gehennæ, unde quæso tam fidenter supponit adventum, cum in omnibus resultare? Ex eo quòd omnes soleamus oculos festinantissimè claudere, lapsus aut musca involat in oculos, quis est qui non ferat illam occlusionem non esse motum liberum ex eo quòd ad alterius injuriam expectant omnes motum primò primum ad vindictam, quæ est, qui non inferat esse motum necessarium & inimpedibilem? Pari modo quando Deus bonus apprehenditur sine vilo malo admixto, item quando in peccato apprehenditur formaliter obiectum divinæ, sequitur necessario, & aliquis amor Dei, & aliqua displicentia peccati, sed talis qui est necessarius, & potest consistere cum actuali voluntate peccandi. De hac displicentia, & de hoc amore non est controversia, quia nemo illum negat.

Solvuntur objectiones.

989. Objicit Pallavicinus 1. Textus Scripturæ, quos ait esse valde manifestos. ex 1. *Joan. Qui non diligit, manet in morte.* & ex 1. *Corinth. Sine Charitate nihil sum.* & ex 1. locum. primum etiam si daretur ibi esse Sermonem de actu charitatis erga Deum, fore intelligendum de actu charitatis perfectò & justificativo, (& sic aquè applicandus adversario) & ab illa regula esse exclusum exceptum, quo quis vitur privilegio Sacramenti penitentiae, prout supra ex P. Valentia notat.

Deinde accipitur ille locus etiam de Charitate præscindendo ab actu & habitu, alioquin infantes baptizati ante usum rationis, manerent in morte. *§. 2.* ibi sermonem esse de dilectione proximi, quando graviter obligamur ad opera Charitatis. *§. 3.* ad 2. locum, sensum esse, quod quæ adhibemus ad obtinendam gratiam (quæ in Scriptura sæpè nomine Charitatis venit) si reipsa Gratia non obtineatur, nihil sint. Quod si quis velit illum locum de actu Charitatis accipere, intelligendus est S. Paulus, sicut in responsione 1. S. Joannem interpretati sumus.

Objicit 2. Varia loca S. Augustini, ad quæ vno verbo responderi potest, S. Patrem loqui de amore perfecto, vel de inchoato (prout in omni virtuoso actu inchoatur) accedente Sacramento, quod ex speciali privilegio æquivalet amoris perfecto.

Objicit 3. Auctoritatem S. Thomæ variis in locis, & per longos discursus conatur in suam Sententiam trahere. *§. 2.* Breviter omnia adducta ideo nihil probare, quia probarent, confessionem non valere, nisi sit facta in statu Gratiæ, quod nec adversarius admittit potest. Vnde suspicatur Recentior Hispanus, omnia illa testimonia quæ sita fuissent desiderio inveniendi præconceptam opinionem. P. Esparza ait, clarum esse legenti totum textum bene longum, S. Thomam aliter sentire quàm velit Adversarius. Alij addunt, non satis constare de sensu S. Thomæ; & cum scripserit ante Tridentinum, mentem Tridentini potius attendendam esse. Ego addo, textus omnes allatos esse ex Commentariis in 4. Sentent. nempe *dist. 17. q. 3. a. 4. q. 1. & dist. 14. q. 1. a. 2. q. 1. ad 4.* nullum verò ex Summa.

990. Objicit 4. Auctoritatem Tridentini, quod conatur adversarius in suam Sententiam detorquere. Itaque Tridentinum *sefs. 6. c. 6.* describens præparationem hominis nondum baptizati, (& eadem est ratio de illo qui vult justificari per Sacramentum poenitentiae) ad justificationem docet, nondum baptizatos ad justificationem disponi, dum Deum tanquam omnis Justitiæ fontem *N.B. diligere incipiunt.* & statim subiungit: ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet. quibus verbis putat adversarius luculentissimè indicari, quod odium peccati debeat esse ex motivo charitatis, eò quod prius dictum fuerit, quod Deum diligere incipiant. *§. 1.* Concilium non dicere, quod diligant (prout requirit adversarius) sed diligere incipiant. quod optimè convenit dolori ex metu gehennæ concepto, & procedenti ex actu fidei, quo credimus, (sunt verba Trid. *ibid.*) vera esse, quæ divinitus revelata & promissa sunt, atque illud imprimis, à Deo justificari impium per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, & dum peccatores se esse intelligentes, à divinis Justitiæ timore, quo utiliter concutuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum

sibi propter Christum propitium fore. ad hunc, inquam, actum fidei & spei, si sequatur odium peccati, ex metu gehennæ, & amore salutis æternæ, tale odium est inceptio amoris, hoc est, disponens ad perfectum amorem Dei, imò in aliquo sensu est simpliciter amor Dei, vel procedit ex amore Dei, non quidem ut finis C.VI, sed ut finis Q.VI, hoc est, amatur per illum Deus ut nostra beatitudo, & finis promissus. Porro bene advertit P. Esparza, non sine causa dictum esse à Concilio: per odium aliquod & detestationem: scilicet vagè & indeterminatè: quia videlicet nondum convenerat inter Patres Concilij tempore Sessionis 6. de qualitate illius odij, de qua diu multumque disputatum est inter ipsos. ut constat ex actis Concilij. Convenerunt autem denique *sefs. 14.* & tradita est vltima determinatio ac expositio illius suspensivæ indeterminationis. Huic ergo posteriori determinationi ac expositioni clare, quam pro nobis apertè stare supra ostendimus, insistendum est, ubi disertis verbis dicitur, Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, & communiter concipitur ex metu gehennæ, vel turpitudine peccati, esse donum Dei, & impulsus Spiritus sancti, & disponere cum Sacramento ad gratiam. Et hoc quidem ait se definire contra hæreticos, qui calumniabantur Catholicos, quasi non requirerent bonum motum ad Sacramentum. Hæretici autem nunquam dixerunt, actum præcedentem ex motivo dilectionis, quantumvis partiali, non esse bonum motum, sed hoc dixerunt de actu procedente ex solo metu gehennæ. Sanè si hæretici illud prius dixissent, debuisset Concilium vel maxime illos erroris redarguere ex eo, quod Catholici requirant motivum dilectionis; unde longè expeditius contra illos probasset, à Catholicis requiri ad Sacramentum Poenitentiae bonum motum poenitentis.

991. Contra id quod diximus, Concilium in *sefs. 6.* per illa verba: *incipiunt diligere:* non exigere majorem amorem, quàm amorem Concupiscentiæ. hoc est, Dei ut finis Q.VI, qui amor continetur in spe & odio peccati, ut impeditivi nostri vltimi finis, contra hoc, inquam, replicat Card. Pallavicinus, quia Concilium exigit amorem Dei ut fontis omnis Justitiæ; quando autem amamus Deum ut bonum nobis, non amamus ut fontem omnis Justitiæ, hoc enim spectat ad Charitatem. *§. 1.* Concilium non exigit ipsum amorem, sed inceptionem talis amoris, quod sufficienter sit tum per amorem Dei, ut finis Q.VI, hoc est, per amorem & desiderium divinæ amicitiae, & ejusdem justitiæ timorem, quo sensu dicitur: *Initium Sapientiæ timor Domini.* tum per quandam inclinationem erga Deum ut finem C.VI, quæ inclinatio est quidam motus præveniēns exercitium libertatis, & habet rationem gratiæ excitantis, & vel semper vel communiter resultat in peccatore, quando præcedunt illi actus, quos ibi Trid: recenset regulariter præcedere poenitentiam ad baptismum requisitam, scilicet, ad aliquid

quod odium peccati indeterminatè sumptum. Ergo etiam concederemus, Deum vñ fontem omnis iustitiæ non posse diligere, nisi vt finem CUI, nihil nobis obesset Concilium. Respondeo tamen 2. falsum omnino esse, quòd quando Deum amamus vt nostrum finem QVI, non amemus eum vt fontem omnis iustitiæ, hoc est, omnis gratiæ sanctificantis, & reddentis capacem beatitudinis; non enim potest Deus à nobis obtineri vt finis QVI, nisi prius ab ipso tanquam fonte obtineamus gratiam: quicunque autem amat finem, amat omnia media necessaria: ergo cum Deus vt fons iustitiæ sit medium necessarium ad seipsum vt finem QVI à nobis obtinendum, evidens est, quòd amando Deum vt finem QVI, amemus etiam vt fontem omnis iustitiæ.

Advertendum denique hic est, quod etiam notavit Hispanus, per illud verbum, *Disponuntur*, Concilium enumerat omnes actus, qui ordinariè & quasi regulariter præveniunt iustificationem peccatoris; & propterea dispositionem quæ continet omnes illos actus recensitos, nunquam dixit, esse necessariam; imò cum recenscat actum Timoris, quo peccator divinæ iustitiæ terroribus utiliter concutitur, non potest Concilij mens fuisse, omnes & singulos actus ibi recensitos exigere, vt necessarios necessitate medij ad salutem; non enim videtur congruè dici posse, ità esse necessarium necessitate medij timorem divinæ iustitiæ, vt si quis ex beatitudinis desiderio, immemor poenarum vellet Deo reconciliari, non obtineret iustificationem, neque probabile est, nullum hominem vnquam fuisse, qui potius traheretur spe præmiorum quàm timore poenarum.

992. Obijcit aduersarius s. rationem, quam ait validissimam. [Videtur, inquit summè incongruum, vt cum Deus statuerit, neque conferre habitum Fidei adulto sine præcedente actu fidei, neque Spem sine præcedente actu Spei, velit tamen conferre Charitatem sine præcedente actu Charitatis. Gravissimè fallor, nisi hoc argumentum dupliciter retorqueri possit in suum auctorem, & primò quidem sic. Docet Pallavicinus in tract. de Fide, quòd quando infidelis elicit primum actum fidei, statim ipsi infundatur habitus fidei, etiam si non iustificetur, idem dicit de actu Spei. Infero. Si ab habitu Fidei & Spei licet argumentari ad habitum Charitatis, tunc ad infusionem habitus Charitatis requireretur præuius actus Charitatis tam perfectus, vt infundatur statim habitus Charitatis, & sine tali actu prævio non infundetur ne quidem in Sacramento, sicut ad actum Fidei & Spei infunditur habitus Fidei & Spei, & sine his præuijs non infunditur, ne quidem in Sacramento: consequens est contra aduersarium, quia talis actus esset iustificativus, qualis tamen non prærequiritur ad infusionem habitus Charitatis in Sacramento. Secundo sic. ad infusionem habitus fidei non sufficeret actus fidei imperfectus & impurus, non acquiescens soli revelationi & veracitati, sed innixus insuper motivo

scientiæ vel opinionis, tanquam motivo patriæ: ergo nec ad infusionem habitus Charitatis sufficeret actus Charitatis imperfectus, vt vult aduersarius. Ergo argumentum nimium probat. R. rectè, negando paritatem, disparitas est evidentior. nam ideo prærequiritur actus Fidei & Spei, quia sunt prærequisiti ad actus aliarum virtutum supernaturalium; nam fides est instrumentum, quo Deus erga hominem exercet suum magisterium, cumque instruit; quem finem & quibus medijs eum querere debeat: Spes autem ergo animum & proponit probabilitatem finis consequendi, sine qua homo non adhiberet media ad finem. Aliter se res habet in Charitate, sicut con actu possunt exerceri actus aliarum virtutum, & apud omnes certum est. Disparitas est 2. quia virtute Sacramenti, quo merita Christi nobis applicantur, & profunt ex opere operato, debet tunc suppleri aliquis defectus alicuius perfectionis, seu dispositionis, ex parte suscipientis, qui alias requireretur, & requisita fuit in venienti legi, & hunc dicimus esse defectum Charitatis.

993. Obijcit 6. & virget prius argumentum. Tridentinum dicit, iustificationem renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum quibus in eo inimico amicus: atqui non voluntarie sit amicus, qui nullo modo amat. Et ceterè cum ad amicitiam requiratur vt alteri afficiamur in ratione finis CUI, non potest esse dispositus ad amicitiam divinam, qui nullum talem affectum habet erga Deum. Sanè in peccato præcipua malitia quam agnoscunt Scholastici, est auersio: Deo in ratione finis CUI: sub qua ratione ipse est optimus, & magis meretur amorem, quàm sub quacunque alia ratione, hoc est, quatenus est bonus nobis. Ergo peccatum non debet debere nisi per oppositam conversionem ad eundem Deum tanquam ad finem CUI. Ità ille. Hæc argumentatio vel probat requiri cum Sacramento, adeoque semper actum perfectum Charitatis, adeoque per se iustificativum, vel probat ad infusionem gratiæ etiam extra Sacramentum sufficere actum amoris imperfectum, (vtrumque negat ipse Pallav.) vel nihil probat, quod verum est. Respondetur enim, satis voluntarie recipi amicitiam habitalem Dei ab eo qui eam libenter desiderat, & elicit in hunc finem efficacis propostum honestum ac Deo placens, nunquam Deum graviter offendendi: hæc dispositio licet sine Sacramento non sufficiat (prout nec sufficit actus quem requirit Pallav.) sufficit tamen cum Sacramento, ad hoc institutum, vt consuleretur infirmis nostræ in eliciendo actu Charitatis perfectio.

994. Obijcit denique aliud argumentum. [Quis, inquit, potest congruè dispositum ad impetrandam non tantam veniam sed amicitiam Principis ejus offendere? qui sic peteret veniam. Displicet mihi, quia offenderim, eò quod merui à te puniri. ceterum tua displicentia & de tua auersione gratia sui natura

CONTROVERSIA III.

Virum Dolor debeat esse prior naturâ vel tempore ante confessionem.

995. **A**ffirmat P. Conink & Layman, sed cum communi Theologorum negandum est, esse necessarium ad valorem Sacramenti, ut dolor villo modo præcedat confessionem, sed fieri posse, ut tempore sequatur confessionem. Probatur, tum solvendo fundamentum contrarium, tum ex praxi fidelium à nemine improbata: solent enim dolorem subungere confessioni, nec Confessarij sunt solliciti, an dolor præcesserit: neque etiam exigunt à penitentibus, ut catu quo dolor secutus sit, instituunt novam confessionem compendiosam & summariam peccatorum prius enumeratorum, ut requirunt adversarij.

Obijciunt. Si dolor non præcedit confessionem, non potest explicari quomodo fiat sensibilis per illam. Recentiores aliqui docent, hoc non esse necesse, quia dolor non est assumptus in ratione sensibilis, neque constituit Sacramentum in ratione signi sensibilis, sed in ratione causæ sative Gratiæ unâ cum cæteris partibus sensibilibus. Respondeo tamen hoc facile posse explicari. Nam ad hoc ut A. fiat sensibilis per B. satis est quod B. sit signum sensibilis alicujus habentis connexionem cum A. & cum B. tanquam suis effectibus: v.g. si dicam alicui *Discede, quia volo studere*: hæc verba reddunt sensibilis studium subsequens, hoc est, præbent argumentum sensibilis inferendi studium subsequens, hoc modo: Petrus dixit, se velle studere, & est homo verax: ergo studet. Ratio est, quia illa verba sunt signum voluntatis, quâ non solum vult affirmare exteriùs, sed etiam quâ vult reipsâ studere, adeoque studium subsequens habet dependentiam ab eadem causâ à qua pendet affirmatio. Pari modo quando dolor subsequitur Confessionem, si tamen habeat connexionem cum voluntate confitendi, cum quâ etiam est connexa confessio, fit per confessionem sufficienter sensibilis, quia confessio non significat quomodocunque voluntatem narrandi peccata, sed significat voluntatem narrandi in ordine ad obtinendam absolutionem, adeoque significat voluntatem saltem implicitam faciendi omnia necessaria ad absolutionem obtinendam.

Quod si fingamus casum, quod quis in ipsa confessione prodat, se quidem habere desiderium absolutionis, sed non dolere de peccatis, nec habere propositum emendandi (prout sæpè prudens potest esse suspicio) tunc quidem confessio non significaret voluntatem dolendi, nisi valde implicitam & conditionatam, nempe si cognoverit necessitatem dolendi ad absolutionem obtinendam, & ideo tunc Confessarij teneretur instruire, & adhortari ad serium dolorem, qui deinde vi prioris voluntatis ponetur, aut certe si prior voluntas

Titt 2

non

effectum habeo. atqui sub hac forma se offerret Deo quicumque peccator in Confessione, qui penitet ex solo motivo metûs. Hoc argumentum probaret imprimis, quod actus Attritionis metu gehennæ ne quidem esset honestus, sed potius contemptivus Dei, sicut illa verba offensoris Principem censerentur contemptui habere. Deinde retorqueretur argumentum, totidem verbis applicando ad actum quem Pallavicinus requirit, & vult sufficere cum Sacramento, non tamen sine Sacramento. Quis putaret congruè dispositum ad obtinendam veniam & amicitiam, qui diceret Principi. displicet quod te offenderim, & pœnas meruerim, itâ tamen ut defacto nullum affectû habeam, erga te & gratiâ tui, pro casu quo nullas pœnas à te timere possem. atqui taliter se sistit Deo peccator per actum quem Pallavicinus ponit: vel, si alium perfectiorem ponit, nihil deerit illi, quominus iustificet, ut supra ostendi. 3. Negando paritatem. disparitas jam est indicata. Vel enim ille actus offensoris Principis esset honestus vel non. si non est honestus, jam non est paritas cum nostro actu, quem ipse Pallavicinus probat contra hæreticos esse honestum. Si autem ille actus ponitur esse honestus, tum iterum est disparitas: quia filius illius Principis non impetravit illi actui tale privilegium, quale Filius Dei per superabundantem satisfactionem & merita infiniti valoris impetravit Confessione Sacramentali.

Plures alias disparitates eleganter assignat P. Esparza his verbis. [Voluntas infligendi pœnas infligibiles ab homine, non convertitur cum voluntate vitandi injurias omnes adversus eundem. fieri namque potest, ut homo injuriatus non puniat injuriantem, tum propter ignorantiam delicti, tum propter impotentiam; unde earum pœnarum odium non continet in se odium injuriarum, & propositum non injuriandi pro omni eventu. Rursus, pœna saltem præcipua infligibilis à Principe temporali, non est privatio gratiæ & amicitiae suæ, sed interemptio, confiscatio, exilium &c. unde timor adversus principem temporalem, nullum ex sua natura continet in se respectum ad gratiam & amicitiam ejusdem, nullamque per se præsupponit estimationem illius. Præterea bonitas & perfectio propria principis temporalis, non exercet rationem finis ultimi, aut etiam præcipui respectu metûs quo timetur ejus potentia, & respectu odij injuriarum ex metu: neque metus iste ac odium subordinatur intrinsicè illi fini. Unde fit postremo, ut eidem Principi non placeat absolute talis metus ac odium, nec ipso consulente ac desiderante concipiatur, nisi tantum comparative, præ affectu deteriori. Omnia autem his opposita conveniunt Attritioni.]

